

Q. D. B. V.

PRÆFATIO.

**O**ccasionem præsentis Dissertationi dederunt *Observationes Selectæ ad Rem Literariam spectantes*, prout titulus habet, quæ à loco impressionis communi quasi consensu appellationem sortitæ sunt, ut Hallensium Observationum nomine veniant, & quidem *Tom. II. Obs. XII. §. 84.* Harum Observationum non omnium unum esse eundemque Auctorem, & rerum pertractatarum varietas, & sententiarum diversitas, & difformitas styli arguant, præterquam quod Editores illarum in *Præfat. Tom. I.* discrete id contestentur. Quamobrem unicuique Viro, quæ in iis occurrunt omnia attribuere, si laude & approbatione digna, imprudentiæ; si censuram merentur, iniquitatis haud levis foret. Quorumnam vero singulæ sint istæ Observationes, adeo compertum non est, ut plerarumque, me saltem, lateant Auctores, nisi quod, Celeberrimos Viros, Buddenm, Thomasiu, Struvium, ad nonnullas earum tanquam sui ingenii factum provocando, sibi eas vindicasse, vel saltem adscriptarum ipsis sese Auctores non diffessos, in aliis illorum Scriptis hæcenus me reperire meminim. In Scriptores autem illarum inquirere, etiamsi non semper & ubique, alicubi tamen & nonnunquam haud omni utilitate carere nobis videtur. Equidem non penitus improbamus, quando respicere præcipiunt Viri haud de vulgo non quis dicat, sed quid dicatur: attamen concedentilli nobis vicissim, non semper sufficere, neglecto dicente, ad solum attendere dictum, quin sæpius ad dicentem respiciendum quoque sit, ut dictum ex illius mente intelligi recte queat. Quamquam enim communis quædam omnibus incumbat obligatio, ut in communi sermone vocabula ita adhibeant, prout receptus usus fert, in negotiis autem Artis vel Studiorum aliquo genere voces, quas terminos technicos nuncupare solemus, eâ in significatione usurpent, quâ illis Artis periti ac Scientiarum Doctores utuntur, quâ de re legi potest PUFENDORFFIUS *Libr. VI. de Jur. Natur. & Gent. Cap. I. §. 5. §.* haud tamen illi obligationi omnes ita vivunt, ut non reperiantur nulli, non in communi solum sermone, sed & Artium atque Scientiarum doctrina, à recepto vocabulorum usu recedentes. Ea propter dictum scriptumve cuiuspiam recte interpretaturum necessum est ex loquentis vel Scriptoris hypothesebus colligere, qualem significatum, quamnam emphasin ejus ex mente verba habeant, quidque iisdem intenderit ille ipse. Quam variaz Philosophorum sint sectæ, ignotum nemini est, nisi omnem ignorantiam Philosophiam. Foveat suas singulæ hypotheses peculiare, quas nî quis attenderit, illorum in interpretatione miserè hallucinabitur. Qui circa fidei doctrinam errant Hæretici, haud rarò iisdem verbis cum rectè sentientibus utuntur, errorem nihilominus suum sub iis occultantes, ut v. g. quando Sociniani Filium DEI verum DEUM vocant, Calvinio-Reformati corpus & sanguinem Christi in Sacramento Cœnæ Dominiæ vere & realiter præsentia esse affirmant, quod si quis non observaverit, istos verum quidem DEUM, attamen subordinatum tantum, non coæqualem Patri, ac coæternum, & consubstantialem; hos veram & realem præsentiam corporis ac sanguinis Christi per fidem tantum, quâ Sacramento utentes illa apprehendant, minimè verò substantialem ad essentiam, intelligere, imprudenter

